

peccatum matris ejus non deleatur. An intelligendum est, ut reddantur ei peccata etiam parentum suorum? *Ei quippe non redduntur, qui fuerit mutatus in Christo, & cœperit esse non filius iniquorum, non imitatus mores illorum: quia & illud verissimè scriptum est: Reddam peccata patrum in filios, & illud, quod per Prophetam dicitur: Et anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Hoc quippe dictum est de his, qui convertuntur ad Deum, & non imitantur mala parentum suorum, quod ipse Propheeta evidenter ostendit. Dicit enim, parentum iniquitates eis non obesse, qui justitiam faciendo dissimiles fuerint. Illud autem, quod dictum est: Reddam peccata parentum in filios: additum est, qui oderunt me, hoc est, sicut me oderant & parentes eorum: ut quemadmodum bonorum imitatio facit, ut etiam propria peccata deleantur, sic malorum imitatio faciat, ut non solum sua, sed etiam eorum, quos imitati sunt, merita sortiantur. Si ergò Judas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Sed quia non tenuit adoptionem in familiâ Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: ut in eo etiam ipse puniretur, & peccatum matris ejus non deleteretur.*

56. Idem August. Tom. 6. lib. contra Adamant. c. 6. p. 75. ait: Ex eo, quod addidit: *Qui me oderunt, intelligitur, eos puniri peccatis parentum, qui in eâdem perversitate parentum perseverare voluerunt. Tales enim non sævitiâ, sed potiùs justitiâ Dei, & suâ iniquitate puniuntur &c. Paulò post. Nam non pertinere patris peccata ad filium, justè viventem, Propheeta Ezechiel apertissimè ostendit cap. 18. v. 14. &c. Idem docet August. Tom. 4. quæst. ex V. T. q. 14. p. 430. & Q. super Deut. q. 42. pag. 118. Consentit Hieronym. Tom. 5. super Ezech. c. 18. p. 437. ubi inquit: *Injustitia videtur Dei, alium peccare, & alium luere pœnam. Si enim reddit peccata patrum super filios in tertiam & quartam generationem, injustum videtur, ut alius peccet, alius puniatur, sed ex eo, quod sequitur: His, qui oderunt: comminationis sive præcepti scandalum solvitur. Non enim ideò puniuntur in tertiâ & quartâ generatione: quia deliquerunt patres eorum: cum patres potiùs, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint; sed quia patrum extiterunt amulatores, & oderunt Deum, hereditario malo & impietate in ramos quoq; de radice crescente &c. Confer & August. lib. 6. contra Julianum cap. 12. ubi aliter dictum Ezechielis cap. 18. explicat. Hic tamen addo, quòd licet Deus minetur Exod. 20. v. 5. se velle parentum flagitia punire**